



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Quæst. I. Quis status, quod momentum & quæ sit causa præsentis  
controversiæ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)



R. P.

# ANTONII TERILLI SOCIETATIS JESU REGVLA MORVVM

SIVE

## TRACTATVS

De sufficienti ad conscientiam ritè for-  
mandam regula.

### PARS PRIMA.



**I**USTIS de causis, nominatim autem ad celerio-  
rem Operis impres-  
sionem, Tractatum hunc in duas partes dividere constitui. Pars  
prima, præter ea quæ ad præsentis controversiæ statum, atque ad  
solidam ejusdem resolutionem pertinent, complectetur omnia quæ  
Celladens in duos priores libros prima sue Partis concessit, atque de  
illis ordine mox indicando disputationem instituet. In Parte secun-  
da de iis agam, quæ Celladens tam duobus posterioribus Partis primæ  
libris, quam primo libro Partis secundæ complexus est. Nec dubito,  
quin dispatio hæc plurimum utilitatis, nec minus voluptatis candido Lectori allatura sit.  
Gaudebit enim, ubi veritatem summi momenti solide stabilitam, falsitatesq; Adversariorum  
perspicue detectas esse perspexerit; atque inde haud dubiè utilitatis plurimum acquirere. Sed  
rem ipsam aggrediamur.

### QUÆSTIO PRIMA.

*Quis status, quod momentum, & quæ sit causa præsentis  
controversiæ?*



**I**A est hominum non tam con-  
suetudo, quam conditio, ut,  
quoties tractatum aliquem le-  
gendum accipiunt, in ipso ve-  
litulo compendiarum contro-  
versiæ totius narrationem, & legitimum quæstio-  
nis statum sibi proponi expectent. Et meritò qui-  
dem; fieri enim vix potest, ut seridò, alacriter,  
& cum spe fructus in studium incumbant, nisi  
status, dignitas, ac momentum rei quæ sit ante  
oculos statuatur, quibus allecti ad indefessam rei  
tantæ investigationem incitentur.

scientiæ & scientiæ, qui mecum sit, & mecum  
laboret, nec me à veritate aberrare permittat;  
atque ita scribenti calamum dirigat, ut ex eo nil  
elabatur, quo quisquam merito offendi possit.  
Hac, ut decet, humili cordatissimaque precatio-  
ne præmissa, rem ipsam sine ambagibus aggre-  
dior. Sit ergo,

#### ASSERTIO PRIMA.

*Propositum sit verum ac legitimum contro-  
versiæ præsentis statum proponere.*

Quocirca ut huic tam justæ Lectoris expecta-  
tionis satisfaciam, in ipso operis hujus limine sta-  
tui tria breviter præstare: primum est, statum  
quæstionis exactissimè proponere. Secundum,  
emolumentum ac necessitatem controversiæ exor-  
tè declarare. Tertium demum, causam indicare,  
ob quam hunc in me laborem susceperim, quem  
Lectori & cupio, & utilem fore spero. Hoc ut  
eveniat, Deum per Christi merita enixè rogo,  
ut de sede magnitudinis suæ emitat spiritum sa-

**2.** **T**OTA de licito probabiliu-  
um usu contro-  
versiæ in hanc tandem quæstionem de-  
volvitur, utrum opinio probabilis sit sufficiens  
licitæ operationis regula? Si sit, habetur inten-  
tum; si non sit, erramus, & adversarii verum  
dicunt. Hac de causâ tractatum hunc de regula  
morum inscripsi, quia aliud in illo non quæro,  
quàm rectam & sufficientem moralitatis, atque  
conscientiæ formandæ regulam stabilire. Et qui-  
dem

*Quæstio  
præsentis  
eo vertitur,  
utrum opi-  
nio proba-  
bilis sit suf-  
ficiens mo-  
rum regula?*

Lectori  
quid expe-  
ctare solet?

A

dem



dem sermo est de formali, non de objectiva morum regula; regula enim objectiva est lex aeterna, seu voluntas Dei, cui creaturae rationalis operationes, ut sint honestae, conformari debent, ut nunc suppono, & omnes fatentur. Formalis autem regula est iudicium intellectus, quo lex aeterna, seu prima morum regula objectiva voluntati proponitur. Quæritur autem, quæ & qualis debeat esse actus iste intellectus, per quem lex aeterna proponitur, ut ille merito dicatur, & vere sit recta, aut sufficiens regula moralitatis? Hunc quaestionem in hoc opere determinandam assumo, in quo, Deo dante, ostendam opinionem probabilem esse rectam morum, & sufficientem conscientiae formandae regulam. Hoc ut paulatim efficaciter ostendam, ante omnia exactum controversiae statum proponere oportet. Hunc ut legitime proponam, sic discuro. Praesens controversia est reflexa quaedam consideratio ac disputatio de regula formali operationis bonae, seu de actibus mentis nostrae, quibus divina voluntas, seu prima regula objectiva omnis moralitatis, voluntati sufficienter proponitur. Porro ex actibus istis, aliqui certò, alii evidenter enunciant voluntatem Dei hæc permittere, illa præcipere, alia prohibere.

Actus certi sunt recta morum regula.

De istis actibus nulla est controversia, quia sicut illi absque ullo deceptionis periculo directe enunciant, ac manifestant legem aeternam, seu voluntatem divinam; sic nos illorum qualitatem reflexè considerantes, certò & evidenter asserimus, quod sint recta morum regula: quin nomine rectae morum regulae aliud non intelligimus, quàm iudicium, quo intellectus legem aeternam ita proponit, ut voluntas ductum illius sequens, nullius peccati sit rea, sed Deo placeat, & bene ac laudabiliter, seu honestè operetur. At loquendo de talibus actibus directis, certò & evidenter scimus, illos & peccatum arcere, & honestatem in opus refundere, unde certò & evidenter concludimus, actus ejusmodi esse sufficientem, seu rectam regulam formalem moralitatis. Ideo autem vocantur regula formalis, quia illis mediantibus lex aeterna, seu divina voluntas, quæ est prima regula objectiva morum, formaliter, vitaliter, atque intellectualiter per absolutum iudicium voluntati applicatur, atque in liberas ejus operationes honestatem refundit. De his ergo actibus veritas constat, & omnis controversia cessat.

Judicia temerè concepta non sunt recta morum regula.

3. Alia judicia habemus, quibus voluntas Dei, seu lex aeterna absque evidentia & certitudine nobis proponitur. Hæc judicia in duas classes dividuntur, alia temerè, alia absque temeritate eliciuntur. In primis omnia illa judicia temerè eliciuntur, quæ carent motivo sufficienti ad ferendam sententiam, sicut decet virum peritum & probum illam proferre; atque ideo non nisi ex passione animum excecante, ac indebitè ad assensum propellente eliciuntur. Similiter ea omnia judicia temeraria vocamus, quæ absque debita veritatis indagatione formantur, quando ad illam tali vel tali diligentiae mensura investigandam obligamur. Jam si hos actus eorumque qualitatem reflexè consideremus, incunctanter, & sine omni formidine dicimus, illos non esse sufficientem regulam formalem moralitatis; quia tamen aliquo modo voluntatem regunt, applicando illi legem aeternam, quatenus non solum operationem esse honestam, Deoque placere asserunt, sed etiam prout voluntatem ad opus ex hac persuasionem ponendum alliciunt, nihilominus scimus, talia judicia non esse sufficientem conscientiae

regulam, quia nec honestam operationem fundunt, nec peccatum arcunt. Ratio est, quia taliter operans peccandi periculo temerè se exponit, ideoque nunquam excusatur, nequidem quando in illo suo iudicio non errat. Non excusatur si erret, quia vincibiliter errat, adeoque error illi imputatur. Non excusatur, si verum dicat, quia adhuc periculo violandi Dei legem temerè se exposuit, adeoque turpiter egisse vincitur. In hoc etiam omnes omnino consentiunt; quamvis enim ejusmodi judicia, plerumque saltè, rationem malitiae, atque peccati minuunt, ideoque à Theologis dicantur excusare à tanto, non tamen sunt sufficientes regula, quia non excusant à toto, nec impediunt quominus operatio Deo displiceat, & vere sit mala & peccaminosa.

4. Itaque praesens controversia ad ea solum judicia incerta devolvitur, quæ absque ulla temeritate ab homine eliciuntur. Talia autem sunt ea omnia & sola, quæ ex una parte nituntur fundamento, quod assensum meretur, id est tali fundamento, quod aptum est ad assensum à viro perito & probo impetrandum, quando ille, ut talem virum decet, assensum præbet; & ex altera parte non eliciuntur absque debita veritatis investigatione, quando illa præmittenda est, hæc & non alia judicia incerta ad hanc tertiam classem reducuntur. Jam si hujusmodi iudicium, sic elicitum, enunciet rem esse licitam, seu à Deo permissam, utique voluntatem divinam, seu legem aeternam menti nostræ applicat, nosque per ejus applicationem ad operandum movet. Quæritur ergo, utrum iudicium istiusmodi sit sufficientis regula formalis moralitatis? Et in hoc tota praesens controversia consistit. Si enim actus ejusmodi, tam verus, quàm falsus (nam aliquando tales actus falsos esse contingit) & à peccato excuset, & operationem honestam Deoque placentem fundet, haud dubiè erit sufficientis, ac recta operationis humanae regula. Si neutrum horum præster, non erit sufficientis morum regula. Si vero peccatum arcet, sed honestatem in operationem non inducat, erit quidem regula sufficientis ad omne malum arcendum, sed non erit undique & complete sufficientis, quia honestatem in actum non refundet, sed in hoc à perfectione regulæ deficiet.

Judicia, sine temeritate elicta, sunt recta morum regula.

5. Jam si reflexè respiciamus istiusmodi judicia, statim per se apparet, quod malum arcendum vim habeant, quodque peccatum & peccati periculum excludant. Ratio est manifesta, quia omnis ita judicans, temeritate caret. Unde si arguo: talis homo vel errat, vel non errat in sub iudicio. Si non erret, haud dubiè bene operabitur, quia lex aeterna ipsi, bona fide procedenti, veraciter applicatur. Si erret, errat invincibiliter, quia fecit quod potuit ac debuit: ergo non peccat, cum error illi imputari non possit. Et sanè quoad exclusionem peccati res est tam certa, ut in dubium vocari non possit, neque quemquam ex scriptoribus catholicè sentientibus reperies, qui de hoc dubitaverit; omnes enim uno ore fatentur, errorem & ignorantiam invincibilem à toto excusare. Præterea omnes, quod sciam, præter unum Celladeum, docent, bonitatem moralem ab actu humano inculpabili esse prorsus inseparabilem, si actus ille in honestum motum tendat. Unde communis opinio, quæ tenet, usum eorum, quæ per ejusmodi judicia proponuntur, esse licitum, duo statuit: primum & præcipuum est, quod qui bona fide scatur præscri-

Recta morum regula debetè proposita patet ex terminis.



præscriptum talis iudicii, nec peccet, nec peccati periculo se exponat, hoc enim dato, habent præcipuum quod intendunt. Secundum, & minus præcipuum in ordine ad intentum controversiæ præsentis est, quod dicto modo seclans ejusmodi iudicium, bene & honestè operetur, quamvis fortassis erret, sic iudicando. Et hæc duo sunt præcipua puncta, quæ toto hoc opere stabilienda assumo.

Quis sit sensus benignæ sententiæ?

6. Et sanè veritas hujus assertionis reflexæ est adeo manifesta, ut nemo eam in dubium revocare posse videatur. Adeo enim patens est veritas hæc, ut mera ejus propositio intellectum rapiat ad assensum. Unde mirabitur fortassis Lector fieri unquam potuisse, ut quisquam hoc in dubium vocaret; vel certè suspicabitur, non hunc, sed alium esse sensum questionis reflexæ, seu controversiæ præsentis de licito probabilium usu. Sed quisquis ille est, eum securum esse jubeo, quod hic & non alius sit sensus ac status præsentis controversiæ, hoc enim mox evidenter ostendam. Itaque meritò miratur, communem & ab omnibus in expressis terminis per integrum sæculum unanimiter traditam, tamque perpicuam veritatem à quoquam in dubium fuisse vocatam: sed cessabit admiratio, si legat quæst. 22. & 23. De conscientia probabili, & ad sequentia hujus tractatus attenderit. Videbit enim controversiam hanc à mera terminorum æquivocatione, & mala quæstionis intelligentiâ originem traxisse, atque etiam ab ejusdem æquivocationis propagatione incrementum accepisse.

Quid ad probabile præcipuum requiritur?

7. Sed ut clarè constet, sensum præsentis controversiæ de licito probabilium usu, alium non esse, quàm quem num. 4. proposui, discretius declarandum est, quid dicamus, & quid probare intendamus. In primis dicimus, licitum cuique esse sequi opinionem quam umque præctice probabilem, si verè sit talis. Verùm multa requirimus, ut opinio sit vere probabilis, quæ diligenter sunt advertenda. Primum omnium est, ut nitatur fundamento fide digno, id est tali, quod aptum sit ad assensum ab homine perito & probo irreprehensibiliter judicante impetrandum. Jam ut motivum aliquod sit tale, ante omnia, maxime essentialiter requiritur, ne quidquam certi in contrarium afferatur, quia nemo irreprehensibiliter judicat contra id, quod est certum. Unde nil contrarium fidei, aut decretis summorum Pontificum, vel Conciliorum approbatorum, aut expresso sacre Scripturæ textui, vel unanimi SS. PP. consensui, aut ulli argumento plenam fidem facienti, atque moralem certitudinem inducenti, est probabile. Secundò sententia aliqua ut sit probabilis, confirmari debet motivo gravi ac magno, scilicet valide attrahente ad assensum, & quidem magnitudo hujus motivi summi debet non solum absolute, quatenus vehementer impellit secundum se, sed etiam relative ad omnia in contrarium allata, adeo ut etiam in contradictione illorum vehementer alliciat ad assensum, idque præcisè vi suæ magnitudinis tam absolute quam comparativæ, & non ex effectu ac propensione indebita ejus, cui proponitur, si enim tanta sit illius vis, ut à perito & probo irreprehensibiliter judicante assensum impetrare valeat, tale & non aliud motivum appellamus magnum, grave, seu probabile, sistendo semper in rebus obscuris & non certè cognoscibilibus.

Diligentia ad probabile requiritur.

8. Dixi non certo cognoscibilibus, quia si veritas per humanam diligentiam certè sciri posset, omnes tenerentur ad veritatem ipsam inveniendam,

R. P. A. Terilli Regula morum, PARS I.

& juxta eam operandum. Unde ad probabile præcticum, seu probabile pro conscientia dirigenda, tertio & valde notanter requirimus, ut diligentia debita pro veritate reperienda juxta qualitatem rei, & humanam conditionem præmittatur; nisi enim diligentia debita adhibeatur, nemo pro conscientia formanda ullam opinionem prudenter adhibet; & si adhibeat, temere adhibet, nec habet opinionem præctice probabilem, de qua solà loquimur in præsentii.

Præctice probabile quid sit?

9. Sed quia multi non intelligunt, quid nomine opinionis præctice probabilis proprie significetur, illud etiam discrete declarandum est. In primis ergo nulla opinio, tribus aliis requisitis carens, est præctice probabilis. Rursus omnis opinio, cui tria illa conveniunt, est præctice probabilis, si tamen enunciet rem propositam esse licitam, seu conformem legi æternæ, aliter non est præctice probabilis, quia non applicat legem æternam, cujus propositio seu applicatio est propria differentia opinionis præctice probabilis ab omni alia opinione.

Sensus præsentis controversiæ.

10. Hoc posito, dicimus, omnem opinionem juxta istam explicationem præctice probabilem esse sufficientem conscientiæ, seu bonæ operationis regulam. In quo evidens est, nos aliud non dicere, quàm quod tertio loco proposuimus, adeo ut præsens controversia, quoad rem ipsam in eo solo puncto vertatur, quamvis in illius expositione aliis terminis utatur, & semper probabilis, & præctice probabilis in sermone habeamus. Sed voces istæ idem prorsus significant, quod illæ. Jam quod hic sit legitimus sensus præsentis quæstionis ex eo patet, quod omnes contenti erimus, sed adversarii opinionem, juxta hanc explicationem, præctice probabilem admittant esse sufficientem conscientiæ & bonæ operationis regulam. Discrete enim dicimus, eam debere esse talem, ut peccatum arceat, & bonam operationem inducat, & nisi talis sit, non est illa, quam nomine opinionis præctice probabilis intelligimus.

Probabile diversimodè de sumitur.

11. His adhuc non nihil addendum est, ut opinio tradens probabilium usum esse licitum, clarius & absque ulla æquivocationis umbra, quantum fieri potest, intelligatur. Opinio præctice probabilis considerari potest in duplici statu: primus status est, quando actu elicitur iudicium dictans opus esse licitum; hoc enim iudicium, si dicta requisita habeat, est opinio probabilis actu existens, quæ vitaliter informat intellectum, illique legem æternam immediatè applicat. Opinio hoc modo sumpta est regula formalis conscientiæ, de qua reflexe differentes dicimus, quod sit sufficiens regula honestæ operationis. Secundus status est, quando opinio probabilis non actu informat animam, sed consideratur tanquam objectum, quod cognoscimus, & de quo cum veritate dicimus, quod sit opinio præctice probabilis. Porro opinio probabilis hoc modo sumpta multipliciter comparari potest cum opinione contradictoriè opposita. Primò, ut opinio, dicens rem esse licitam, sit, & opposita, id negans, non sit probabilis. Secundò, ut utraque pars suam probabilitatem habeat: in quo casu tres inveniuntur differentiæ. Prima, quando opinio dicens rem esse licitam, est, & habetur probabilior opinione, dicente illam esse prohibitam. Secunda, quando utraque opinio est, & habetur æque probabilis. Tertia, quando opinio, proponens rem esse præceptam, probabilior est opinione, dicente illam esse licitam. Nos agimus de opinio-



opinione probabili in quadruplici hoc statu considerata, & dicimus, illam, quomodocunque accipitur, esse sufficientem bonæ operationis regulam, non formalem proximam: sed objectivam remotam. Non formalem, quia opinio illa non existit in mente, ut actus, sed *objectivam remotam*, quia reflexè considerata in ordine ad omnes circumstantias & respectus, quibus afficitur, fundat iudicium, vel certum, vel certè practicè probabile, quo intellectus post naturam totius quæstionis considerationem absolutè enunciat, objectum à quavis opinione practicè probabili, etiam ab æque & minus probabili propositum, omnibus consideratis, esse licitum. Hac ratione omnis opinio practicè probabilis, in ratione objecti reflexè considerati, manifestat legem æternam, quæ est regula objectiva proxima; ac proinde omnis opinio practicè probabilis, hac ratione considerata, est quidem regula conscientia objectiva, sed solum remota. Itaque in hoc casu solus actus iste reflexus, dicens usum omnium practicè probabilium esse licitum, est, & à nobis dicitur sufficiens regula honestæ operationis, quia ille solus est opinio practicè probabilis (si tamen non sit iudicium certum) quæ hic & nunc actu informat animam, illique Dei voluntatem vitaliter applicat. Adeo ut in hoc casu regula formalis conscientia, quam sufficere dicimus, non sit nisi opinio reflexa, quam modo explicavimus.

Adversariorum æquivocatio designatur

12. Ex defectu huius distinctionis factum est, ut pauci moderni ab antiqua & communi opinione apparenter recesserint. Illi enim videntes intellectum non posse absoluto iudicio credere aliquid esse verum, & simul existimare oppositum esse æque aut magis probabile, statim intulerunt, opinionem æque aut minus probabilem non esse sufficientem bene operandi regulam, quia impossibile est divinam legem formaliter ac vitaliter applicari voluntati per opinionem, quam iudicamus minus probabilem. Verum manifesta æquivocatione decepti fuerunt, quia regulam remotam cum proxima formali confuderunt. Nemo enim somniavit opinionem, quæ absoluto & finali iudicio haberet æque aut minus probabilis, esse formalem & proximam rectè operandi regulam, sed solum docuerunt, illam esse regulam objectivam remotam, ex cuius nimirum consideratione formatur iudicium reflexum, aut certum aut probabile, quo dicimus, objectum à tali opinione propositum, omnibus inspectis, esse licitum. Jam de hac sola opinione reflexa dicimus, quod sit sufficiens regula formalis bonæ operationis. Et sanè si opinio probabilis directæ sit regula sufficiens, ut omnes docent, etiam hæc opinio probabilis reflexa est regula sufficiens, cum eadem de utraque sit ratio, ut patet. Porro ex hac distinctione, atque ex huius æquivocationis detectione perspicuum est, neminem, præter Celladeum (si tamen Celladeus ipse dissentiat) reperiri, qui neget universalem usum opinionis practicè probabilis esse licitum. Omnes enim fatentur, opinionem probabiliorem, seu opinionem probabilem, actu informantem intellectum (utpote quæ semper tendit in suum objectum tanquam in partem probabiliorem & unice veram, quæque haud dubie probabilior est oppositâ in mente iudicantis) esse sufficientem conscientia regulam.

Ergo nemo negat regulam, quam communis opinio statuit, quia illa ita docet usum minus probabilium esse licitum, ut id non alia ratione licere dicat, quam si intellectus, stante probabilitate

directa, eaque agnita ut minore, per iudicium saltem probabile reflexum indicet, opus ab opinione directâ minus probabili propositum, omnibus inspectis, esse licitum. Atque ideo revera non docemus ullam dari regulam formalem in incertis, præter opinionem probabiliorem, quæque ab operante habetur non solum probabilior, sed unice vera. Unde qui non subscribitur benignæ sententiæ, non minus arcentur à licito probabilius usu, quam illi, qui in directâ consideratione nulli prorsus opinioni, etsi probabiliori, subscribunt.

13. Itaque sensus nostræ opinionis reflexæ est, quod quicumque bona fide operatur ex præscripto opinionis practicè probabilis hæcenus declaratæ, habeat sufficientem regulam tum ad excusandum à peccato, tum ad bene operandum, idque verum esse asserimus, tam de opinione probabili directâ, qua quis directè credit opus esse licitum, quam de reflexa, qua, post debitam quæstionis de licito probabilius usu considerationem, enunciat, omne opus directè probabilitè licitum esse verè tale, si omnia considerentur: & sanè, si hanc animi dispositionem reflexè intueamur, tam patenter verum est, quod homo taliter operans non peccet, ut id in dubium revocari non possit. Unde habemus, veritatem principalem, ac primario intentam huius controversiæ esse tam apertam, ut legitima illius propositio, & status controversiæ ritè explicatus ad plenam rei probationem, & validam ejusdem demonstrationem sufficiat.

Opinio nostra clarè exponitur.

14. Hinc ulterius pergo, & declarandum suscipio, ad quæ adversarii tenentur, si nostram communemque sententiam ritè impugnare velint. Nos duo dicimus: primum ac maxime principale est, hominem bona fide opinionis practicè probabili, actu illius animam informantis, æternamque Dei legem applicanti se accommodantem non peccare peccato formali, seu verè imputabili, sed ab omni culpa coram Deo excusari; idque verum esse affirmamus, si opinio illa practicè probabilis sit directâ, si reflexa, ut explicatum est. Secundum & minus principale (quia de illo hæcenus sub expressis terminis ex professo, atque ab imis fundamentis non est disputatum) est, quod talis operatio sit bona. Itaque qui debite, & sicut serium Theologum decet, vult impugnare communem sententiam, debet primo loco probare & evincere, quod homo taliter constitutus & operans peccet non materialiter tantum, si forte erret in suo iudicio, sed formaliter peccato vere imputabili. Sed hoc est negotium prorsus desperatum, & ex terminis cognoscitur esse factum impossibile. Neque quisquam est, quod sciam, ne quidem Celladeus ipse, qui hoc probare aggressus est: adeo verum est, præteritas omnes impugnationes communis opinionis non solum illam non evernisse, sed ne tetigisse quidem, ut fuse demonstravi in *tract. de conscientia probabili quest. 22. & alibi sæpe*. Hoc autem etiam locum habere in posterioribus ejusdem opinionis impugnatoribus ex dicendis in toto hoc opere luculentissime constabit. Secundò debet probare, talem operationem, etsi minimè peccaminosam, nullam tamen bonitatem moralem participare, sed & hoc etiam est argumentum desperationi obnoxium, cum oppositum non solum sit probabilissimum, sed etiam moraliter certum, ut in hoc tractatu, Deo dante, perspicuum fiet.

Adversarii ad quid teneantur.

15. Demum sicut dicimus, hominem, bona fide



Questio prima. Pars I.

fide sequentem ejusmodi opinionem practicè probabilem non peccare, sed bene agere; ita pariter dicimus, quod, quando agitur de opinionum delectu ad operandum, homo eligere debeat opinionem certò probabilem, ut certus sit, se regulam debitam adhibere, illique se conformare. Sed de hoc saepe dictum est in quest. de conscientia probab. & de eodem argumento non semel dicendum erit in sequentibus.

16. His pro statu controversiæ explicando dictis, unum addo circa modum loquendi in sequentibus saepe occursum, scilicet, me brevitatè causâ hisce duobus terminis, *sententia benigna, sententia rigida*, saepe usurum. Sententiam communem, quæ omnium practicè probabilium usum docet esse licitum, voco *benignam*, quia verè est benigna, & rationabiliter libertati favet. E contra sententiam, negantem usum probabilium esse licitum, appello *rigidam*, quia verè est rigidissima, eo quod absque sufficienti fundamento hominum conscientias nimium arctet.

ASSERTIO II.

Præfens controversia est questio summi momenti, & scitu prorsus necessaria.

Regula morum est res summi momenti & scitu dignissima.

17. **D**ECLARATUR assertio. Inprimis agimus de regula morum, seu de regula debite formandi conscientiam in rebus incertis. Porro in rebus humanis incerta in casibus innumeris ubique sunt obvia. Durissimum autem est in omnibus ad tutiora obligari, ad quæ tamen obligatur, qui sufficienti regula ad conscientiam pro electione partis minus tutè debite formandam caret. Itaque determinatio hujus controversiæ citra omne dubium est res summi momenti, quæ proinde sicut Theologos ad maximos labores pro veritatis tam necessariæ inventione subeundos coegit, ita pariter legentium animos, ad veritatem, qua omnes summopere indigent, omni studio ac diligentia inveniendam, excitabit. Ille solus hac doctrina non eget, qui extra rerum humanarum vicissitudinem positus, omnia per certam scientiam intuetur. At nemo mortali carne indutus, nemo ignorantia nostræ tenebris involutus, errandique periculo expositus invenitur, cui ulla questio, aut utilior, aut magis necessaria inveniatur, quàm ista. Si utile sit nosse, quid liceat; si necessarium sit in obscuris ac tenebrosis itineribus facem præferri, nil utilius, vel hac questione necessarium magis, per quam & licitum ab illicito dignoscitur, & fax ad iter hujus peregrinationis per obscuros incertitudinis calles absque præcipitandi aut cadendi periculo decurrendum præfertur. Hæc quidem in genere dicta vera sunt, sed qui questionem delibaverit, illamque exhausterit, longè plura majorisque momenti, quàm quæ paucis verbis explicari possunt, inveniet.

Præfens questio est Theologo necessaria.

18. Præterea controversia ista, si quæ alia, inter Theologos à triginta ferme annis acerrimè disputata est, ad quam debite intelligendam ingens principiorum ac doctrinarum pulcherrimarum multitudo est prorsus necessaria. Si autem summi momenti sit Theologo ea perspecta habere, quæ sua ætate maximè agitantur, & ea præfertim, quæ sine eximâ ac abundantè pulcherrimarum rerum scientiâ determinari non possunt, profectò præfens controversia (ad cujus notitiam hæc omnia sunt prorsus necessaria, quæque aliis omnibus in acri disputatione jam à longo

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

tempore antecellit) censenda est questio summi momenti: quod cum per se pateat, nec ulteriori explanatione indigeat, ad causam controversiæ hujus à me susceptæ aperiendam accedo.

ASSERTIO III.

Propositum sit explicare causam, ob quam ego controversiam hanc iterum ad examen revocavi.

19. **A**NNO Domini 1669. justum volumen Leodii edidi, quod inscripti, *de conscientia probabili*, in quo totam materiam de licito probabilium usu à fundamentis examinavi, atque ex rationibus, autoritatibusque validissimis, ni fallor, apertè demonstravi, ulum cujusvis opinionis certò practicè probabilis esse licitum. In illo opere, quidquid hac de re ad id tempus agitarum fuerat, & ad manus meas pervenerat, discussi. Adversarios, æquivocatione deceptos, non impugnasse benignam sententiam in sensu à suis Auctoribus intento latè ostendi. Eorum argumenta examinavi & solvi, eaque fermè omnia non infirmare, sed validè confirmare benignam sententiam evici. Et sanc liber per Belgium, & Galliam (in quibus Provinciis controversia hæc maximè agitabatur) ita acceptus est, ut finem questionis quodammodo attulisse videretur. Nam Lovanii per longum tempus nullæ amplius de materia illa theses proponebantur, cum antea nullæ tam frequentes haberentur, quàm quæ licitum probabilem usum ut periculosum ac peccaminosum exploderent: per Galliam quoque major animorum quies invec̃ta videbatur, quia prius usum illum convellendi studium deserbuit.

Causa operis suscepti exponitur.

20. Verùm circa illud idem tempus, quo ipse Leodii librum meum typis imprimendum curabam, aliud opus de eadem materia sub prælo sudabat Lugduni, ubi anno 1670. justum volumen in quo, *De recta doctrina morum* prodiit, cujus auctor Antonius Celladeus inscribitur. Hic vir omnia prorsus contraria assertis meis proposuit. Ego usum probabilium licitum ac rationalem, nulliusque periculi reum esse tradidi. Ille omnem ejusmodi usum periculosum, imo & peccaminosum esse summo conatu asseruit. Si ille librum meum ante libri sui editionem vidisset, aut impressionem omisisset, aut alia longè ratione librum composuisset, quia liber meus plurimas æquivocationes, quibus ille deceptus est, apertè detegit, atque fundamenta habet, ex quibus potissima ipsius argumenta nullo negotio solvantur. E contrario si liber Celladei ante operis mei editionem ad manus meas pervenisset, facili negotio argumenta ipsius, locis propriis digesta, cum aliorum argumentis solvissem, ejusdemque æquivocationes, sicut & aliorum (in plurimis enim similes sunt & prorsus eadem) unâ eademque operâ detexissem. Verùm cum aliter res contingerit, jamque liber illius, meo paulum posterior, in vulgus prodierit, non potui non censere, magnum causæ ac opinioni communi detrimentum, imminere, nisi falsitates contra illam à Celladeo allatæ publicè detegerentur. Nec dubium quin lectio libri ipsius magnam incautis lectoribus impressionem, magnumque contra communem sententiam præjudicium sit allatura, nisi remedium tempestivè adhibeatur; quia ille mirum in modum periculum peccandi, immo & apertum peccatum in probabilem usum latere declamitat. Neque seguitè rem inchoatam urget, sed magna

Celladeus quando librum suum edidit.

Necessitas impugnandi Celladeum.



ingenii vi, apparentibusque argumentis undique congestis contra nos insurgit, veritatemque à suis partibus stare multipliciter se demonstrasse contendit. Itaque tam valido contra veritatem satis contestatam conatui resistendum censui, neque alteri cuiquam iustius, quam mihi provinciam hanc deberi existimavi. Cum enim ego omnium aliorum conatus in hac ipsa materia paulò ante repulsiem, non nemo existimare potuisset, me Celladei argumentis cessisse, atque causa quodammodo cecidisse, nisi cum illo etiam congregederer, illiusque argumenta prorsus nulla esse demonstrarem. Sed absit ut quisquam hoc arbitretur: non ita est; in omnibus errat Celladeus, & si res presè examinetur, vix quidquam habet, quod communem sententiam, in proprio sensu à nobis intento acceptam, tangat: sed melius est congressum ipsum inchoare, atque strictè argumentis cominus certare, quam verbis gloriosis mira eminus jactare. Virum ergo aggrediar, pedemque cum illo conferam, si tamen de ipso, deque libri ipsius doctrina, ac de presentis ipsius, atque futura mea methodo nonnulla præmiserò.

## ASSERTIO IV.

*Propositi sunt breviter explicare, quid liber Antonii Celladei contineat, & meum de libro ipsius iudicium proferre.*

21. **A**NTONIUS Celladeus, natione, ut ex ipsius libro apparet, Hispanus, se virum Theologiae valde peritum prodit, cum ejus liber varia doctrina, multiplici eruditione, plurimaque fecundi ingenii sobole abundet. Hoc in eo singulariter placet, quod non affectatà, sed limpida ac gravi eloquentià mentem suam exprimat: sed plura facio, quod moderatè de Auctore in particulari loquatur. Nil enim Theologo Christiano turpius est, quam scommata in Auctores Catholicos, de republica literaria bene meritos, loco argumentorum conjicere. Sed hæc ejus laus non parum ex eo minuitur, quod in communi acerbo stylo Casuistas in genere exagitet, illosque titulis indecoris dehonestet. Hoc enim meo iudicio magis offensivum est, quam si unius vel alterius errores debità moderatione in particulari notasset. Particularem Auctorem impugnare nemini injuriosum, sed omnibus proficuum est: at generalis censura innocuos etiam involvit, ideoque meritò omnes offendit. Præterea gravissimas accusationes contra omnes benignè sententiæ Auctores sub generali notione acceptos, id est contra omnes omnino præter seipsum (nam in re nemo præter illum à nobis dissentit) hujus & alterius sæculi scriptores accumulatur, communemque omnium Catholicorum opinionem indignis comparationibus dehonestat, quæ omnia in progressu cunctorum oculis patefient.

22. Inter reliqua autem, ut lectorem sibi suæque causæ, simulque ut invidiam communi sententiæ conciliet, apertè fatetur, se multis annis sententiæ benignè tam firmiter adhæsisse, ut ægrè ferre potuisset quemquam, qui veritatem illius in dubium vocasset. Sed postea, veritate elucescente, asserit se sententiam mutasse, atque exinde in opus hoc suum *de recta doctrina morum* plus minus per novennium inter alias occupationes iasudasse. Primò ergo, rejectis æquè & minus probabilibus, quæstionem totam per probabiliora

explicare aggressus est: sed cum opus ad finem pene perduxisset, novo lumine illustratus, probabiliora non minus quam æquè vel minus probabiliora, rejicienda perspexit. Unde iterum opus aggressus, omnia tandem per veritatem ipsam in hoc opere se explicasse gloriatur. Et hæc sunt quæ Celladeus de seipso expressè fatetur.

23. Porro quod ad propriam Celladei sententiam atinet, illa ipsi soli peculiaris est, quia non solum æquè & minus probabile à conscientiâ regulandâ rejicit, sed eodem prorsus modo probabiliora, immò & certa existimata tanquam insufficientia repellit, ut ipsemet multis libri sui locis expressè tradit. At neminem inter Auctores Catholicos reperire est, qui in hoc illi consentiat. Singularis ergo, & prorsus singularissima est Celladei opinio, qui proinde in decursu sui libri frustra declamat contra usum æquè & minus probabilium, ut sic benignæ sententiæ causam reddat suspectam, suæque fidem conciliet. Frustra, inquam, tum quia argumenta ipsius, æquívocatione detecta, nullam vim habent, ut videbimus, tum præcipuè quia totum illud admittimus nil suffragatur ipsius sententiæ, nisi usum probabiliorum pariter rejiciat. Stante enim licito horum usu, totus illius conatus evanescit. In illud ergo aut unicè, aut potissimè incumbere debuisset, ut ostenderet usum probabiliorum esse illicitum. Sed de hoc pauca, quia difficillimum est fuisse illud multis argumentis impetere: de altero verò, circa quod, ob æquívocationem magis latentem, spatiosus excurrendi campus se prodir, agit fusillimè, & nullibi non argumenta contra illud coarcevat. Hunc differendi modum haud probo, quia multum laboris continet, & ad finem intentum parum, aut nihil conducit: illo enim, de quo maxime agit, habito, adhuc alia difficultas de integro superanda est, quæ solâ superatâ, nulla priorum mediorum, laborisque prius suscepti necessitas fuisset. Hæc cum Lector advertent, haud dubiè concludere poterit, Celladeum in necessariis probandis valde parum, in superfluis, aut parum ad finem conducentibus, agitandis diffusissimum fuisse.

24. Hactenus vidimus, quid explodat Celladeus, difficilium autem est exactè dicere quid teneat. Existimo enim paucos ex iis, qui librum ipsius legerunt, exactè nosse, quid tandem pro regula conscientie statuat. Ego dicam quid ex seriâ libri inspectione & confutatione colligere potui. In primis ergo summo, ut dictum est, nisu omnium, maxime verò æquè & minus probabilium usum ut illicitum rejicit, in quo si consequenter loqui, & benignam sententiam ut oportet impugnare velit, duo debet expressè docere. Primum, quod qui operatur juxta præscriptum benignæ sententiæ peccet, qui que juxta illam hactenus bonâ fide operati sunt, peccant peccato verè imputabili, alioquin in substantia rei nobis non adversabitur. Potissimum enim quod docemus est, hominem, taliter, ut nostra sententia præscribit, operantem imputabiliter non peccare. Secundum, quod taliter operantes nil boni faciant, quando errant, quamvis invincibiliter errent, & à peccato excusentur. Ex his duobus, secundum expressè tradit, ut videbimus, sed illud minus principale est in ordine ad præsentem quæstionem. De primo non ita clarè se exprimit. Multis tamen in locis apertè indicat se ita sentire, & non solum omnes ita operantes, sed etiam omnes talia docentes peccati verè imputabilis condemnare: quàm autem horrenda hæc sit censura,

Opinio Celladei est singularis.

Opinio Celladei explicatur.

Quis sit Antonius Celladeus.

Scriptio ejus offensiva est.

Celladeus sapius mutavit sententiam.



fura, & quàm malè fundata suis locis infra patebit.

Celladeus regulam incongruam proponit.

25. Ne tamen nimis rigidus videatur, ex-  
presè negat se tenere, quod tutiora in omnibus  
sint tenenda. Itaque post definitionem cujusdam  
probabilis, quod reale & positivum appellat, ex-  
planatam, totus in eo est, ut probet illud proba-  
bile esse rectam conscientia regulam. Hoc tamen  
ita intelligit, ut ejusmodi opinio solum sit recta  
morum regula, quando est vera, si autem vera  
sit, est recta morum regula, quamvis proponat  
partem minus tutam. Cæterum ita loquitur de  
probabilitate, ut tandem eam cum veritate con-  
fundat, quia ex professo docet, nil falsum esse  
probabile nisi apparenter. Itaque re ipsa aliud non  
docet, quàm propositionem veram esse sufficientem  
conscientia regulam, quando verifamur in  
incertis. Sed quàm misera sit hæc regula, quam-  
que ad finem hujus disputationis Theologicae  
inutilis, infra suis locis patebit.

26. Quod si contingat operantem falso judi-  
cio dirigi, duo respondet. Primum: qui tale judi-  
cium sequitur, peccat si vincibiliter erret. Secun-  
dum: si invincibiliter erret, excusatur quidem  
à peccato, sed operationem moraliter bonam  
non ponit, quia non adhuc rectam morum  
regulam, quæ in incertis solum est judicium pro-  
babile verum. Hæc ille.

27. Sed quia hinc tota disputatio de probabi-  
litate videri potest superflua, eo quod, si sola  
cognitio vera sit recta morum regula, sufficisset  
hoc ipsum clarè dicere, totamque de probabili-  
bus disputationem omittit præstitisset, quia proba-  
bilia, nisi sint vera, non sunt recta conscientia  
regula; ideo fortasse ne frustra de probabili-  
bus egisse videatur, dicit probabile esse quidem  
conscientia regulam non simpliciter, sed si su-  
matur cum onere. Hoc autem ita intelligere vi-  
detur, ut homo, qui ex opinione quoad ipsum  
probabiliter sequitur partem minus tutam, circum-  
spicere debeat, & attentè videre, an hic & nunc  
sit exceptio contra opinionem illam. Si sit excep-  
tio, tenetur ad partem tutiorem. Si non sit, non  
peccat, si operetur; quia si erret, invincibiliter  
errat, si verò non erret, bonum opus facit.

Regula Celladei ad regulandū inuocata.

28. Hæc est substantia doctrinae, quam pro  
regula conscientia proponit, quamque rectam  
morum doctrinam appellat. Verum omnia hæc adeo  
confusa & parum digesta sunt, ut post omnia ab  
ipso dicta nemo ex doctrina ipsius scire potest,  
an in incertis unquam sequatur rectam conscientia  
regulam. Ergo per illius doctrinam nemo  
regulari potest. Ergo frustra laboravit in traden-  
da regula. Præterea nullibi explicat, quale sit  
onus, de quo loquitur, nec ulla ratione indicat,  
per quid scire possimus, an, qualiter, & quando  
illud onus urget, & an diligentiam sufficientem  
adhibuerimus, ut absque peccandi periculo viam  
minus tutam incamus. Uno verbo, meo judicio,  
ita totam questionem indecisam reliquit, ut ne-  
mo ex vi doctrinae, ab illo tradita, ullam unquam  
securam directionem habere possit, sed omnibus  
tandem suo judicio standum erit. Porro hoc  
etiam ita tractat, ut timoratis ingentem metum  
incutiat, nec illis lucem, per quam quietè ac  
tutè incedant, præbet. E contra discipulis, & pas-  
sione agitatis, quidlibet ferme in incertis audendi,  
ac faciendi viam aperit. Quæ omnia in operis hu-  
jus decursu apertè constabunt.

Censura de libro Celladei.

29. His positis, justum videtur, ut sub initium  
impugnationis, brevi inchoanda, meum de libro  
hoc judicium proferam. Existimo ergo librum

hunc duabus de causis Auctoris intento non sa-  
tisfacere. Prima est, quia ille conscientiam debi-  
tè formandi regulam tradere præterdit, sed  
nil minus præstitit; nil enim simile regulæ pro-  
posuit. Secunda in eo fundatur, quod Auctor  
ille multus sit in exaggerando, quanti momenti  
sit in rebus ad mores & conscientiam spectanti-  
bus, Sanctorum Patrum sententiis inhære, pol-  
liceturque, se ex illis veritatem hausturum, idque  
potissimè in secunda parte. Quid in secunda par-  
te egerit haud scio, sed præter meam expectatio-  
nem in prima hac parte cum in doctrinâ PP. val-  
dè jejunium inveni. In potissimis rebus, nempe  
an opus ab errore invincibili directum sit bonum,  
ne unum quidem ex SS. PP. immo nec ullum ex  
omnibus Theologis pro se adduxit, aut adducere  
potest. Deinde neminem ex SS. PP. afferre po-  
test, qui doceat, opinionem probabilem, in fen-  
su benignæ sententiæ acceptam, non excusare  
operantem à peccato. Et tamen hæc sunt totius  
hujus controversiæ questionis primariæ. Itaque  
liber ex hoc etiam capite Auctoris intento, &  
lectoris expectationi non satisfacit.

30. Cæterum de particularibus rebus, & af-  
sertionibus in libro contentis, audacter assero,  
eas, aut omnes, aut plerasque, magnis apertis-  
que æquivocationibus scaturere, quibus detectis,  
nil roboris in argumentis reperitur. Deinde re-  
peri Auctorem plurimis in locis sibi contradixisse.  
Tertiò, nullum unquam Catholici scriptoris  
librum tantè molis legi, in quo minus veritatis  
reperi. Ego certè ex tot propositionibus, quot  
liber continet, paucas inveni, quas veras judi-  
care potui, innumeras autem falsas, quas Auctor  
verissimas, clarissimasque existimat. Sic ego li-  
brum censo, sed an meritò, eorum, qui & hunc  
meum & illius librum legerint, comparaverint-  
que, censurae relinquere.

Liber Celladei æquivocationibus & contradictionibus abundat.

ASSERTIO V.

*Propositum sit, methodum tam à Celladeo in-  
stitutam, quàm à me suscipiendam bre-  
viter exponere.*

31. **SUPEREST**, ut tam de Celladei in scri-  
bendo, quàm de meâ in respondendo  
methodo aliquid addam. Methodus ipsius talis  
est. Opus in quatuor libros dividit. In primo,  
ut ipse apertè fatetur, magis destruit, quàm ædi-  
ficat, & in eo totus laborat, ut mira prorsus tela  
in benignam sententiam torqueat, quibus eam  
solo se æquasse autumat. In secundo fundamen-  
tum novæ fabricæ jacet, fulsissimeque de proba-  
bilitate disputat, statuitque quid nomine veræ  
probabilitatis veniat. In tertio libro per hoc fa-  
bricæ culmen imponere conatur, quod probabile  
à se assignatum esse rectam morum regulam pro-  
bet. In quarto tandem de dubiis disputationem  
instituit. Demum hisce quatuor libris appen-  
dicem adjungit, in qua de natura, ac proprietati-  
bus opinionis, deque intellectus ad voluntatem  
subjectione agit. Methodum hanc, etsi illa mihi  
non arrideat, non improbo, quia periti juxta  
propriam idæam ad finem à se intentum res suas  
mira varietate ordinare solent. Ego certè si ar-  
gumentum hoc tractassem, longè aliter & ad in-  
tentum meum, ut mihi videtur, conducibilis  
questiones istas ordinassem, sed hoc parum in-  
terest lectoris, qui fortasse scire cupit, quam ego  
in respondendo methodum mihi præscribam.

Methodus Celladei,

Huic Lectoris desiderio breviter satisfaciam.



Methodus in progressu tenenda. Inprimis opus meum in libros partiri nolo, quia materia tractanda sunt adeo inter se connexa, ut talem divisionem meo iudicio nec mereantur, nec exigant. Itaque interrupta quaestionum serie ab initio ad finem progrediar, ideoque quaestiones, quas ille in appendicem coniecit, ego suis locis, quam potero maxime proportionatis, quaestionibus reliquis hinc inde interferam. Nilominus opus hoc in duas Partes, ob rationem initio insinuatam, dividere constitui.

Ordo in quaestionibus servandus quis? 32. Secundò non ut ille destruam aliena, prius quam propria aedificem, sed propriis primò stabilitis, ea deinde, quae alii adversus erecta moluntur, Deo dante, dissolvam. Sic enim Lector veritatem fixam in animo, & stabilitam geret, nec diu quodammodo in aere absque pede in ulla veritate fixo hinc inde vacillabit. Quamvis enim, qui assertionem stabilit, utilissimè rationes dubitandi, & argumenta contraria praemittat; tamen qui alios docent, meo iudicio rectius faciunt, si prius veritatem statuunt, & deinde rationes oppositas solvant. Inprimis ergo statuam opinionem probabilem esse sufficientem conscientiae regulam, simulque breviter argumenta afferam, quibus hoc in *Tract. de consc. prob.* stabilivi, ut Lector in ipso disputationis ingressu veritatem efficaciter convictam videat, & ego arripiam anam respondendi aliquibus, quae contra argumenta illa non à Celladeo, sed ab aliis fuere proposita. Deinde in sequentibus contra Celladeum agam, ejusque argumenta & assertiones continuato tractatu discutam.

Quae sint potissima hujus controversiae capita. 33. Postquam autem in sequenti quaestione ostendero, usum probabilium esse licitum, seu nil mali involvere, quod est potissimum hujus controversiae punctum, statim quaestione tertia secundum punctum principale aggrediar, & ex professo ostendam, operationem ab errore invincibili directam, non solum non esse malam, sed insuper bonitatem moralem continere: quod ut praestem, quaestionem à Celladeo tertio libro de re institutam, à sede sua avulsam ad mei Tractatus initium transferam, ut duabus istis veritatibus stabilitis, solide sciamus, quod opinio probabilis sit sufficiens conscientiae regula, quodque usus omnium practice probabilium licitus sit, & honestus, ut sic demum ad omnia in oppositum diluenda, resque particulares exactius discutiendas an memur. His actis, ante omnia ostendam, Celladeum non rectè statum quaestionis proposuisse, ideoque examinabo *quest. 4. lib. 1.* ubi statum quaestionis proponit. Deinde ex professo ordinatè ipsum aggrediar. Incipiam autem ab eis, quae Celladeus in prima

quaestione primi libri incidenter proponit, ut suum ab antiqua sua opinione recessum cohonestet, utque animos legentium à benignae sententiae amore & aestimatione avocet. Uno verbo nil ab ipso propositum, quod ad praesentem controversiam pertinet, omittam, sed singula excutiam, singulisque suum pondus integrum dabo, ut sic veritas nostrae sententiae certius & clarius omnibus patefiat. Porro quia dicta Celladei singulariter excutienda suscepi, ideo in ordine quaestionum proponendarum, non alia ratione ab ordine, quem illo servat, deflectam, quam jam insinuavi, scilicet ut controversiam principalem prius rectè stabiliam, ut statum quaestionis ab ipso malè propositum in initio ostendam, & quaestiones in ejus appendice contentas locis aptioribus inferam. Ni fallor enim, jucundius, atque utilius Lectori accidet, si res suo ut jacent ordine confutentur, quam si per saltum nunc hanc nunc illam alterius libri quaestionem impugnem.

34. Unum tamen est, de quo Lectorem monitum volo, scilicet mirandum non esse, si quae alicubi prius dicta sunt, subinde iterum inculcentur, atque saepius breviter repetantur; hoc enim duabus de causis necessarium mihi erit; primo ne Celladeo deesse videar, qui eadem nimis frequenter repetit. Neque enim possum in egrè respondere alicui quaestioni, quin ea alicuius tangam, quae ipse in illa vehementius inculcat. Cavebo tamen, quantum commode poterò, à non necessaria earundem rerum repetitione; nec fieri poterit, quin Lector hoc ipsum sit percepturus. Secundò nonnulla aliquando ex congruentia magna, vel etiam ex necessitate repetenda erunt, ut quaestionem pro dignitate tractem. Ea enim est aliquarum veritatum praestantia ac necessitas, ut vix nimis saepe inculcari possint, quando justa opportunitas postulat, ut de illis mentio fiat: justissima autem opportunitas hoc exigit, quando adversarius contra veritates illas argumenta priora ita de novo inculcat, ut Lector facile existimare possit, aliqua non solvi, nisi de re illa iterata mentio fieret. Hujus congruentiae limites spero me non egressurum, sed saepe citra illos me restricturum, ubi sola insinuatio solutionis prioris Lectori satisfactura videbitur. Atque haec de statu, momento, & causa praesentis controversiae, deque notione Auctoris, cujus argumenta in me solvenda suscepi, ac demum de methodo, quam ipse tenuit, quamque ego in sequentibus sequuturus sum, dicta sufficiant. Rem ipsam aggrediamur.

An & earundem subinde repetenda sint.



QUAE.